

Quaeritur utrum episcopatus sit ordo

Autor(en): **Holtum, P. Gregorio de**

Objekttyp: **Article**

Zeitschrift: **Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie**

Band (Jahr): **14 (1900)**

PDF erstellt am: **12.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-761975>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern. Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

QUAERITUR UTRUM EPISCOPATUS SIT ORDO.

ORATIO IN SCHOLA THEOLOGORUM MONASTERII SECCOVIENSIS DIE 7. M.

MARTII A. 1899 HABITA

A P. GREGORIO DE HOLTUM O. S. B.



Inter laudes liturgicas, quibus s. Ecclesia in officiis huius festivi diei Doctorem Angelicum celebrat, nescio an ulla sit sublimior eâ, quae continetur in oratione propria. In ipsa s. Ecclesia non se sistit ut matrem gaudio exultantem quod tantum Sanctum tulit, non ut supplicem clientem quae Sanctorum meritis et intercessionibus in via ad patriam adiuvari desiderat et postulat, non ut magistram summam, quae infallibili eloquio suo nos edocet de virtutibus, meritis, coronis Beatorum; sed ut humilem discipulam, quae se demittens ad pedes filii sui, hoc unum enixe petit a Deo, ut, qui Ecclesiam B. Thomae mira eruditione clarificat, eidem quae docuit, intellectu conspiciere concedat. Quibus verbis dubium non est quin s. Ecclesia normam assignaverit de studiis philosophicis et theologicis tractandis, excolendis, perficiendis, quâ observata, omnia fausta feliciaque sperare liceat; quâ neglecta vel contempta, via ad quaelibet mala patescat. Quae persuasio iam adeo, tum Pontificibus RR., et imprimis Leone huius nominis decimo tertio, progressum studii thomistici impensis curis moventibus, tum ipsa historia studiorum philosophicorum et theologorum monente, animis eruditorum virorum insita residet, ut res theologica vel philosophica, si paulo gravioris, vel, ut Leo XIII in litteris Apostolicis iam citandis loquitur, alicuius momenti sit, contra auctoritatem Doctoris Angelici dirimi in scholis catholicis iam non permittatur, quam quidem regulam Leo Papa XIII Societati Iesu ut strictam legem in litteris Apostolicis die XXX Decembris anno 1892 datis imposuit. Quo factum est, ut de veritate doctrinae cuiuslibet a Divo Thoma sine ullo dubio prolatae iamiam disceptationes in scholis catholicis fere non habeantur, si res alicuius, ut diximus, est momenti. Relinquitur tamen dissidium sat diffusum de doctrina quadam sacramentum ordinis attingente, qua in re, hac festiva hora, S. Thomam exponere, defendere mihi propositum est.

Ponit autem s. Thomas in supplemento tertiae partis, in quaestione XL., articulum eumque quintum, hac de re: „Utrum Episcopatus sit ordo“, et respondet: „dicendum, quod ordo potest accipi dupliciter: uno modo secundum quod est sacramentum, et sic, ut prius dictum est (q. 37. a. 2. in corp. et ad 1., et art. 4.), ordinatur omnis ordo ad Eucharistiae sacramentum. Unde cum Episcopus non habeat potestatem superiorem Sacerdote, quantum ad hoc, Episcopatus non erit ordo. Alio modo potest considerari ordo secundum quod est officium quoddam respectu quarundam actionum sacrarum, et sic, cum Episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra Sacerdotem, Episcopatus erit ordo.“ Et ibidem: „Ad secundum dicendum quod ordo, prout est sacramentum imprimens characterem, ordinatur specialiter ad sacramentum Eucharistiae, in quo ipse Christus continetur, quia per characterem ipsi Christo configuramur. Et ideo, licet detur aliqua potestas spiritualis Episcopo in sui promotione respectu aliquorum sacramentorum, non tamen illa potestas habet rationem characteris. Et propter hoc Episcopatus non est ordo, secundum quod ordo est sacramentum quoddam.“

Iam ordo tractationis hic erit, ut in prima parte quaedam necessario vel saltem apte praenotanda praemittamus, in secunda rationes utramque contradictoriam partem suadentes afferamus, in tertia tandem quaestionem sensu s. Thomae dirimere conemur.

In primis ergo sensus quaestionis sufficienter est exponendus.

Si quaeritur, utrum Episcopatus sit ordo an non, quaestio movetur, utrum necne Episcopatus sit ordo specificè distinctus in ratione sacramenti ab ordine Presbyteratus, uti v. gr. Diaconatus specificè differt a Presbyteratu.

Si negative respondetur cum s. Thoma, ordo Episcopatus intelligitur esse adiecta extensio et quoddam complementum Presbyteratus et characteris Presbyteralis, eo fere modo ut iudex, qui actum nobiliorem sentiendi habet, reciperet per regis decretum potestatem ad actus inferiores quidem, sed ipsi ex munere suo non convenientes, quibus receptis, eo ipso evaderet praefectus alicuius regionis. Sed hic extensionis modus alio loco fusius a nobis explicabitur. Deinde iam hic cum utilitate notandum esse videtur, quod s. Thomas duplicem potestatem in ordine distinguit, potestatem in reale corpus Christi in Eucharistia, qua formaliter sacerdotium novi testamenti constituitur, et potestas in mysticum corpus Christi, quae quidem potestas cum prima aliquam connexionem habet, quin tamen ad Eucharistiam tendat, ut in eo ut apice ordinis perficiatur, quod sane habetur in ordinibus Presbyteratu inferioribus, qui eo ipso sub specificè diversa habitudine

ad eum specificè diversi sunt. Haec altera potestas complectitur potestatem baptizandi, confirmandi, peccata remittendi in administratione sacramenti poenitentiae et potestatem roborandi animam hominis cum periculo vitae graviter aegrotantis per collationem extremae unctionis, tandem potestatem ordinandi. Et potestas ordinandi est potestas in mysticum corpus Christi, quamvis afficiat subiecta, quae in ipso sunt membra potiora i. e. collata tonsura vel aliis ritibus forte rationem sacramenti non habentibus electa. In haec Ecclesia quod suum est auctoritate sibi propria derivat. Billuart id illustrat optime his verbis: „Episcopatus non ordinat proprium subiectum ad Eucharistiam sicut alii ordines, sed alienum tantum subiectum“ (Summa s. Th. Suppl. tract. de sacr. ordinis dissert. IV art. II). Non tamen negandum est, ipsa ordinandi potestate denotari et importari indirectam quandam potestatem in Eucharistiam.

Potestas autem in reale corpus Christi alia est secundum s. Thomam consummata, quae quidem in solo Presbyteratu invenitur, alia inchoata in ordinibus maioribus et minoribus, quos omnes s. Thomas rationem veri sacramenti habere contendit. Potestates in mysticum corpus Christi vocat s. Thomas potestates hierarchicas, nullo modo intendens affirmare has absolute excludi a ratione sacramenti. Neque id salva fide facere potuit. Nam dogma iam aetate s. Thomae fuit, baptismum, confirmationem, remissionem peccatorum vere et proprie sacramenta esse, et sacerdotium novi testamenti ut sacerdotium has sacras partes in se continere ut quid additum et derivatum, pariter temporibus s. Thomae doctrina certissima et communissima erat. Unum, quod s. Thomas articulo citato ponere voluit, est: rationem formalem distinguendi in ordine singulos ordines sub ratione sacramenti, debere esse id quod in sacramento ordinis est culmen, apex et prout est hoc, Eucharistiam dico, nullo modo vero aliquam potestatem, quae perfecti rationem iam supponit, licet aliquid insuper addat per modum cuiusdam complementi, v. gr. ordinandi.

Ut consequens rigoris logici ex hac s. Thomae doctrina derivatur, ordines qui directam eamque specificè diversam ad s. Eucharistiam habitudinem important, esse ordines sacros specificè diversos; ordinem vero qui habitudinem, licet gravissimam, ad corpus Christi mysticum dicit, Episcopatum, esse alienum a numero ordinum specificè diversorum. Cave tamen credas ex doctrina s. Thomae talem ordinem nullo modo aut habere rationem sacramenti, aut nullo modo imprimere characterem. Nam in sententia s. Thomae ordo Episcopatus pertinet vere et proprie

ad sacramentum ordinis, non tamen per se, ut Presbyteratus et alii ordines, sed propter aliud, id est, propter Presbyteratum et in ordine cum hoc: imprimis quoque characterem sacramenti indelebilem, non tamen ex se nec specificè diversum a characterè Presbyterali. Consequens est, ordinationem Episcopi non ex toto aequivalere ordinationi Presbyteri, sed esse sacram ordinationem ex ordine ad characterem Presbyteratus extensi in Episcopatu.

Quibus expositis iam patet, omnino alienum esse a doctrina s. Thomae extensionem characteris intelligere ut Vasquez (in 3. p. disp. 240. c. 5., et disp. 239. c. 6. n. 51.), qui negat ordinatione Episcopali quid reali effici in subiecto, aliens, Presbyteratus ordini sive ex natura rei et necessario, sive congruenter praerequisito ad instar fundamenti et conditionis absolute necessariae addi relationem destinationis divinae ad hoc aut illud ministerium per modum extrinsecae cuiusdam denominationis. Eodem ergo modo se habet secundum Vasquez illa divina ordinatio ut regis decretum, quo civi, in quo ex praescripto legis praerequiratur v. gr. nobilitas ut conditio necessaria ad munus aliquod publicum capessendum, illud munus confertur: sane functiones a tali viro sine ordinatione regis omni effectu iuris carerent, et nihilominus illa ipsa nil reale in subiecto ponitur. Deinde ad pleniorè intelligentiam s. Thomae notandum est, secundum s. Thomam potestatem ordinandi directè ordinatam esse ad corpus Christi mysticum eiusque salutem, tum eo, quod sine sacra eaque perenni ordinatione Sacerdotum, ipsum populum fidelem perire necesse sit, tum eo, quod sine perenni subsistentia mysterii Eucharistici animas fidelium misere tabescere et salute privari sine dubio contingat.

Tandem dicendum est, quid, sententia s. Thomae relicta, absolute ab adversariis poni et defendi posset. S. Thomas, ut dictum est, affirmat, potestatem in reale corpus Christi esse potestatem specificè supremam in sacramento ordinis, ex quo omnis specificatio eorum graduum desumenda sit, qui et prout Presbyteratum tamquam ad apicem suum tendunt. Potest ergo primo modo contradictionis concedi s. Thomae, potestatem in reale corpus Christi esse potestatem specificè supremam, ita ut quaelibet alia sit inferior, sed negari Episcopatum esse eius accidentalem extensionem, aut ponendo, Episcopatum nullo modo nec intrinsece nec per aliquam extrinsecam ordinationem connecti cum Sacerdotio, sed referre se ad aliam potestatem, eo fere modo, ut ordo exorcistae secundum nonnullos non se refert ad potestatem in reale corpus Christi in Presbyteratu existentem, sed ad sacramentum baptismi; vel ponendo, Episcopatum supponere quidem

Presbyteratum, sed solum propter aliquam congruitatem, ita ut non sit eius intrinsecum complementum.

Prima positio impossibilis est, nec fit ab ullo auctore. Secunda positio est celeberrimi commentatoris Scoti, Hiquaei, qui l. IV sententiarum, dist. XXIV, q. unicum commentans in numero 49 scribit: „Episcopatus universalitate potestatis excedit reliquos. Unde sicut dicit maiorem potestatem super corpore mystico Ecclesiae, cuius compago s. unio maxime respicit corpus verum Christi . . . ita etiam congruum fuit, ut haec potestas tantum posset acquiri supposita potestate in verum corpus Christi.“ In hac sententia manifestum est excludi intrinsecam unitatem ordinum sacramentum ordinis constituentium: nam in ea posset per se et naturâ rei attentâ quis episcopus valide ordinari, qui nondum Presbyter factus esset: sola ratio invalidam illam susceptionem ordinis reddens esset positiva lex Christi. Consequens est, ipsum Episcopum per se, seu ex sua intima natura, constituere ordinem a ceteris ordinibus essentialiter distinctum, ut nullam cum iis habentem connexionem. Ergo iam non unum systema exhiberet sacramentum ordinis, sed duo. Quinimmo non immerito quis dixerit, in hac hypothesis novum sacramentum existere. Nam novum sacramentum adest, cum specificè nova gratia per signum sacrum confertur ita, ut subordinatio intrinseca quae in sententia s. Th. omnino affirmatur et salvatur, non simul importetur. Quod patet ex sacramentis baptismi et confirmationis, quae tamen aliquam veram intrinsecam connexionem ad invicem dicunt.

Nec valet, si opponas, Episcopatum et Presbyteratum convenire in una communi ratione, potestate administrandi sacramenta. Nam haec ratio unitatem quidem generis constituit, quin tamen specificam et numericam differentiam auferat. Etiam Confirmatio et Eucharistia in una communi ratione, in conferendo augmentum gratiae, conveniunt, et nihilominus sunt duo sacramenta.

Sed in hac ipsa sententia Hiquaei loco interni complementi ordinis presbyteralis per Episcopatum causat^{us} induceretur externum complementum, quia Hiquaeus concedit potestatem in verum corpus Christi esse potestatem supremam eamque solam non sufficere ad adaequatum bonum commune, i. e. Ecclesiae Christi. Ergo hâc sententiâ s. Thomae doctrina non tam negatur, quam aliquo modo modificatur.

Secundo modo contradictoriae opinionis potest negari, potestati consecrandi aliam potestatem aequivalere non posse. Hoc ut probabile defendit Schell in secunda parte voluminis tertiae suae Dogmaticae scribens in pag. 646:

„Es ist nicht einleuchtend, daß die Gewalt in lebendigen, gottebenbildlichen freien Personen unvergängliche geistliche Gnadenwirkungen hervorzubringen und ihnen Gott den heil. Geist selbst mitzuteilen irgendwie geringer sei als die Gewalt der Wandlung von Brot und Wein in Christi Leib und Blut. Der mystische Christus läßt sich nicht dem realen Christus gegenüberstellen; der vernünftige Empfänger der sakramentalen Nahrung nicht geringer schätzen als das hl. Nahrungsmittel selbst.“

Etiam in hac sententia manifestum est non attendi ad statuendum aliquod principium internum, quod ordines, sacramentum ordinis per modum unitatis per se et non accidentaliter constituentes, ad hanc unitatem redigat. Non dico, hanc unitatis normam in illa sententia formaliter negari, sine dubio tamen nullo modo attenditur, Episcopatus et Presbyteratus ut aliquid sui iuris iuxta se ponuntur, coordinantur, non subordinantur, et cum alii ordines, vel saltem Diaconatus in sententiâ sacramenti rationem ceteris ordinibus negante, propter respectum ad reale corpus Christi cum Presbyteratu unum systema efficiant, evidens est, duo systemata in uno sacramento ordinis existere. Insuper respondeatur oportet ad id quod obiicit Gonet (Clypeus: tract. VII. de ordine, disp. 4. a. 2. § I. n. 18.): „pares esse Episcopatum et Presbyteratum repugnat ex illa lege qua diversae rerum essentiae minus possint esse aequalis perfectionis quam diversi numeri pares, quorum tota ratio in aequalitate constat.“

Tertio modo contradictionis poni potest potestatem Episcopi esse potestatem specificè superiorem, eaque proinde constitui Episcopatum, ut ordinem specificè diversum ab ordine Presbyteratus. Id defendit Schell, loco citato, dicens:

„Wenn das Wesen des Priestertums formell in der Eucharistischen Opferfeier gelegen wäre, so würde immerhin noch gelten: Derjenige besitzt die Konsekrationsgewalt in vollkommener Art, der sie anderen mitteilen kann, wie der Bischof, der sie in ihrem Ritus näher bestimmen kann u. s. w.“

Verum est, qui potestate ordinandi gaudet, plus potestatis super Eucharistiam habere quam qui sola potestate consecrandi fruitur: nam, ut dictum est, potestati directae indirecta quaedam addita est. Proinde sub hoc respectu Schell omnino recte scripsit. Sed aliud est, habere plus potestatis, aliud, habere potestatem nobiliorem. Quisnam vero velit dicere, potestatem indirectam elevatiorem esse potestate directâ, quisnam audeat asserere, si illae duae potestates in se inspiciantur et ad invicem comparentur, potestatem ordinandi nobiliorem esse potestate consecrandi? Schell omnino illas duas rationes confundisse videtur. Recte ergo

de eius assertione affirmamus: Haec sententia cum duas partes formaliter diversas in potestate Episcopi esse concedit, sed earum ad invicem relationem nullo modo considerat, extra statum quaestionis versatur, nullamque considerationem meretur.

Quarto modo contradictionis poni potest, Episcopatum simpliciter eo esse ordinem specificè diversum, quod, licet non maior, immo inferior, tamen nova potestas eo acquiratur.

Id iterum Schell, loco citato, ut probabile sustinet, sicuti iam Scoto, loco citato, probabile visum fuit. In eodem sensu scribit Dr. Ernestus Furtner in libello suo: „Das Verhältnis der Bischofsweihe zum hl. Sakrament des Ordo“ (München 1861) pag. 81: „Der formelle Unterscheidungsgrund der ordines wird zu eng gefasst, wenn man ihn mit solcher Ausschließlichkeit in die Beziehung zur hl. Eucharistie setzt. Er muß in der Spendung der Sakramente überhaupt gesetzt werden, und da alle Sakramente in der hl. Eucharistie sich konzentrieren und vom hl. Opfer ihre Kraft und Wirksamkeit herleiten, so ist allerdings die Rücksicht auf die Eucharistie vorzüglich maßgebend, aber nicht ausschließlich in Betracht zu ziehen.“

Manifestissimum est, in hac sententia omne principium unitatis internae singulos ordines attingentis auferri, et consequenter omne systema in ordinibus cessare, et numerum sacramentorum augeri. Postremo in hac prima parte aliquid dicendum est de historia ipsius controversiae.

Constat hanc quaestionem agitari coepisse temporibus nascentis Scholasticae. „Partem negativam“, dicit Scotus, loco citato, „docent omnes antiqui theologi, praeter solum Altisiodorensem.“ In hoc numero sunt inprimis Hugo a s. Victore, in l. 2. de sacramento fidei, part. 3. cap. 12., Petrus Lombardus, in l. 4. Sent. dist. 24., Alexander Halensis, in p. 4. Summae, q. 20. membr. 8, art. 1., et q. 21. membr. 4. ad 4. Albertus Magnus hanc rationem dat in favorem sententiae negantis: „Cum nullus posset esse actus excellentior, quam conficere corpus Christi, nullus potest esse ordo post Sacerdotium; sed iurisdictionum officia sunt . . . distincta super corpus mysticum cui intendunt taliter officii, et quando consequenter accipiunt gratiam, non ad ordinem, sed ad executionem iurisdictionis in Ecclesia si sunt digni“ (in 4. dist. 24. a. 39.).

S. Bonaventura haec habet de re nostra: „Episcopatus, prout distinguitur contra Sacerdotium, dicit dignitatem quandam vel officium Episcopi annexum, et non est proprie nomen ordinis, nec novus character imprimatur, nec nova potestas datur, sed potestas data ampliatur . . . Hoc etiam tenet communis opinio, quod in

Episcopatu character novus non imprimitur, sed illi aliqua eminentia confertur, quae semper manet cum ipso characterе ordinis, ablatâ omni iurisdictione“ (in 4. dist. 24. p. 2. a. 2. q. 3.).

Post s. Thomam tota eius schola quasi unanimi consensu doctrinam Angelici sustinuit usque ad tempora nostra. Videantur nomina praecipua apud Scotum, loco citato. Usque ad saeculum decimum sextum sententia s. Thomae omnino in scholis praevaluit, si aliquot auctores excipias, ut Guilielmum Altisiodorensē (l. 4. Summae tract. 8. q. 1.).

E patribus Societatis Iesu a s. Thomae partibus steterunt teste Gonet, loco citato, Reginaldus, Henriquez, Comitulus, Amicus, alii. Suarez (in 3. p. disp. 11. sect. 5.) sententiam thomisticam probabilem censet esse. cf. Scotus, l. c.

Inde a saeculo decimo sexto usque ad nostram aetatem numerus theologorum et canonistarum s. Thomae in hac re adversantium, semper magis crevit. Sufficiat citare viros praestantiores, inter quos sine dubio praeeminet Caietanus, qui in tractatu undecimo opusculorum a s. Thoma recedit. Petrus Soto O. P. in opere „de institutione sacerdot. lect. 4. de sacramento ordinis“, scribit: „hoc, ut minimum, certa fide tenendum est, quemlibet horum ordinum verum esse sacramentum, et sacramento quoque vero tradi.“ Michael de Medina O. S. I., qui una cum Petro Soto interfuit Concilio Tridentino, periculosum esse ait defendere contrarium (l. I. de sacr. hominum continent. c. 15.). Navarrus (in Manuali c. 22. n. 18. et c. 27. n. 163.). Johannes Eck (l. I. de primatu Petri c. 22.). Johannes Puteanus (in Summam s. Th. q. unica de sacr. ord. dub. III. et VI. concl. III.). Estius (in 4. dist. 24. § 28.). Franciscus Sylvius (in 3. p. q. 40. a. 5. concl. 2.). Petavius (Theol. dogm. de eccles. hierarchia l. 2. — Dissert. eccles. de episc. dignit. et iure). Thomassin (Vet. et nov. Eccl. discipl. de benef. p. 2.). Ludovicus Habert (Theol. tom. VII. de sacr. ord. p. l. c. 4.). Tournely (de sacr. ord. q. 6. a. 1.). Benedictus Papa XIV. (de syn. dioec. l. 8. c. 9. n. 2.). Maldonatus (de sacr. ord. q. 4. init.) haec scribit: „In hac re videntur mihi iuris pontificii periti melius sentire, quod dicant plures esse quam ordines septem. Tota enim antiquitas plena est testimoniis, et Episcopatum quidem esse ordinem distinctum adeo perspicuum est ex omnibus conciliis vetustissimis et ex canonibus apostolorum, ut nemo negare possit, nisi qui non legerit.“ Et Bellarminus vocat hanc sententiam „assertio certissima“ (Disputationum tomus 3. contr. 5. libr. 2. de sacr. ord. c. 5.).

Et de nostra aetate, idest, usque ad renovata studia thomistica

se porrigente, testatur Perrone, eam esse nunc temporis communem, et ait, eam „esse omnino tenendam“ (vol. IX. tract. de ordine schol.).

Novissimis tamen temporibus theologi iterum sententiae s. Thomae adhaerere coeperunt, ut v. gr., Billot, in opere „de Ecclesiae sacramentis Commentarius in tertiam partem s. Th.“ tom. poster. thesi trigesima altera (p. 281) scribit: „Dicendum videtur novum characterem in consecratione Episcopali non dari, sed praeexistentem ampliari ad eas sacrorum collationes, quae complete ac veluti cumulative per legem Novi Testamenti sacerdotio adscribuntur.“

Sed iam ad secundam partem tractandam accedere oportet, in qua rationes pro et contra afferri solitae ponendae sunt.

Et contra s. Thomam haec dicenda videntur.

Primo: In sacris scripturis exhibetur Episcopatus ut ordo specificè distinctus a Presbyteratu. Ergo est.

Prob. Antec. In ss. Scripturis non aliter Episcopatu quam Presbyteratu gratiam conferri invenitur, cum in epist. I. ad Timotheum c. 4. v. 14. dicitur: „Noli negligere gratiam, quae in te est,“ et in epist. II. ad eundem c. I. v. 6.: „admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.“

Secundo: S. S. Patres in innumeris locis Episcopatum ut ordinem specificè diversum exhibent. Ergo est.

Prob. Antec. S. S. P. P. Episcopatum in ratione sacramenti omnino aequiparant Sacerdotio. Atqui id nullum sensum habet, nisi propriam speciem exhibeat, cum id quod sui iuris et propriae speciei non est, non possit alteri absolute aequiparari.

Prob. Mai. S. Martyr Ignatius, in epist. ad Smyrn. scribit: „*Πάντες τῷ ἐπισκοπῷ ἀκολουθεῖτε ὡς Ἰησοῦς Χριστὸς τῷ πατρὶ καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς τοῖς Ἀποστόλοις.*“ Est ergo secundum ipsum caput quidem Presbyterii, sed non continetur in ipso: est ergo Episcopatus ordo novus, ergo specificè distinctus. Idem exprimit s. Martyr in epist. ad Ephes. c. 3. (apud Furtner, l. c., p. 27.).

Optatus Milevit., de schism. Donatist. l. 1. c. 13. scribit: „quid commemorem laicos? . . . quid ministros plurimos? quid Diaconos in tertio, quid Presbyteros in secundo Sacerdotio constitutos? Ipsi apices et principes omnium, aliqui Episcopi, illis temporibus . . . instrumenta divinae legis impie tradiderunt.“

S. Augustinus in l. 2. contra epist. Parmeniani, c. 13. n. 28., vocat ordinationem Episcopi simpliciter „ordinationis sacramentum“, cuius effectum indelebiter permanere asserit in ordinato.

S. Leo Papa, serm. 4. in anniversario assumptionis suae, scribit: „Ut unum celebretur in toto Ecclesiae corpore sacramentum pontificii, quod effuso benedictionis unguento copiosius quidem in superiora profluxit, sed non parce etiam in inferiora descendit.“

Censet ergo certe S. Pontifex, Episcopatum non esse solum sacerdotii extensionem.

S. Gregorius Magnus, libr. VI. in 1. Reg. c. 3., scribit: „Cornu pleno Sacerdotes unguuntur, qui ad summum gradum perveniunt cum plenitudine gratiarum.“ Censet ergo s. Doctor, gratiam sacramentalem conferri in ordinatione Episcopi, et consequenter ipsum esse sacramentum, certe non imperfectius ipso Sacerdotio, nam s. Gregorius sine ulla restrictione loquitur.

Tertio: Si differentia ordinum usque ad Presbyteratum sufficit ut ordines specificè diversi habeantur, differentia inter Episcopatum et Presbyteratum idem efficere valet.

Quarto: Habetur specifica differentia, si explicatio s. Thomae aliquid inintelligibile prae se fert. Atqui id verificatur. Ergo.

Prob. min. Extensio illa certe non intelligi potest, ut contingit in quantitate, quae non extenditur additione novi gradus ad priorem, sed ratione subiecti per novam dilatationem eiusdem formae prioris, accidentis quantitatis.

Neque aliquo analogo modo intelligi potest. Nam ens spirituale aliquo obiectivo modo in se vere extendi impossibile est. Potest sane potentiae spiritualis, ut est character ordinis, crescere intensitas, at, ut per se patet, in eodem specifico ordine remaneat oportet, et proinde absolute impossibile est, vim sacerdotio, quae ex natura sua nullo modo extenditur ad officia Episcopalia, recipere in se hanc novam energiam per aliquam sui ipsius extensionem. Ex quibus etiam iam patet, repugnare explicationem a relationibus sumptam, unam ad diversos terminos posse extendi, ut paternitas quae fuit ad priorem filium, extenditur ad ceteros. Similitudo enim, ut dicit Hiquaeus, loco citato, non currit, quia in eo casu requiritur, ut termini sint eiusdem rationis, nempe specificae, et procedant secundum eundem modum causandi a generante per generationem. Hic autem actus potestatis Sacerdotalis et Episcopalis sunt diversi ordinis et speciei; ergo nequit eadem potestas extendi ad utrosque . . . Per hoc etiam patet ad instantiam de extensione habitus scientiae totalis ad plures conclusiones, quia id affirmantes asserunt habitum non multiplicari in specie et ei correspondere ex parte obiecti aliquam

rationem unam formalem, quocumque modo explicetur, sub qua respiciatur ab habitu.

Hic autem neque character Sacerdotalis virtute includit Episcopalem . . . neque etiam character Sacerdotalis extendi potest ad actus Episcopales, sicut idem principium applicatum diversis conclusionibus quas includit, eas continet in seipso, quantum ad veritatem et extrema s. terminos invariata. Ergo impossibilis est omnis extensio.

Quinto: Ratio extensionis non minus adest in sacramento confirmationis relate ad sacramentum baptismi, et nihilominus sunt duo distincta sacramenta. Ergo neque ratio extensionis ad nova sacra munia prohibet Episcopatum esse ordinem specificè distinctum.

Rationes sententiae s. Thomae suasivae hae afferri possint.

Primo: Tridentinum, sess. 23. cap. et can. 2, non nisi septem recenset ordines, incipiendo a Sacerdotio, nulla mentione facta Episcopatus, cuius solum meminit cap. 4. et can. 6., ubi loquitur de gradibus dignitatis. At, si consecratio Episcopalis esset ordo distinctus a Sacerdotio, non debuisset Concilium, recensendo ordines, istum praetermittere. Ergo.

Nec valet, si cum aliquibus recentioribus dicatur, ideo a Concilio inter ordines non numerari Episcopatum, quia est causa ceterorum ordinum. Nam si esset ordo distinctus, nihilominus debuisset assignari, tum quia ea res gravioris momenti in controversiis cum protestantibus erat, tum etiam quia absolute improbabile est, Patres in re adeo populum fidelem directe spectante proindeque eminenter practica talibus subtilitatibus voluisse uti, tum denique, quia ipsa ratio causae indeque effluentis eminentiae provocabat ad distinctionem huius ordinis declarandam.

Secundo: Potestas absolvendi a peccatis, quae est potestas realiter distincta a potestate consecrandi corpus Christi, et per specialem actum in ordinatione confertur, nulla est, non praemissâ potestate consecrandi, quia non est character, sed characteris extensio et complementum intrinsecum. Ergo neque Episcopatus est ordo distinctus, quia alias, saltem per se et sine aliquo positivo decreto, consecratio Episcopalis esset rata et valida, etiam non praemisso Sacerdotio.

Tertio tandem, suaderi potest conclusio hoc discursu: „si verum est in naturalibus hoc axioma: non sunt multiplicanda entia sine urgenti necessitate: „a fortiori verum erit in supernaturalibus, cum gratia magis abhorreat a superfluo, quam natura; et ne dicamus Deum plures actiones supra naturam producere quam sint necessariae ad effectum quem intendit; sed Episcopus

potest munia Episcopalia exercere, puta conferre sacramentum confirmationis et ordinis, per characterem Sacerdotalem, ut habet adiunctum modum aliquem physicum et supernaturalem, quo completur et ad munia illa extenditur, ut . . . constat exemplo characteris Sacerdotalis, qui se extendit ad corpus Christi mysticum et potestatem recipit absolvendi a peccatis absque novi characteris additione per hoc solum quod modum aliquem supernaturalem recipiat: alioquin tot essent admittendi characteres quot sunt actiones supernaturales et hierarchicae, quae a Sacerdote vel Episcopo exercentur, et sic alius daretur character ad consecrandum corpus Christi, alius ad confirmandum, alius ad conferendum sacramentum extremae unctionis, alius ad absolvendum a peccatis, quod nullus theologorum dixit; ergo etc." (Gonet, loco citato, n. 31.)

Quibus dictis, iam tertiam partem aggrediamur.

In primis quaedam notare iuvel, quae praeparant solutionem quaestionis.

In sententia s. Thomae duplex, ut dictum est, sacra potestas distinguitur: „potestas ordinis in reale corpus Christi, et potestas ordinis in mysticum. Utramque ponit s. Thomas esse in subiecto illo affecto aliquid reale et indelebile: subordinat autem D. Angelicus illas duas potestates ad invicem ita, ut dicat, potestatem proprie Sacerdotalem esse absolute summam in Ecclesia, eaque constitui formaliter Sacerdotii Christi in Ecclesia continuationem ita, ut illa alia potestas sacris ministris competens et in se a prima essentialiter distincta, continuationem dicat primae potestatis complementumque connaturale. Nam cum potestate conficiendi mysterium corporis et sanguinis Christi cohaeret potestas illud fidelibus ministrandi; deinde ipsa Eucharistia ut sacramentum perenne medium requirit, ut semper omnium temporum fidelibus praesto sit. Ex consequenti potestas Eucharistica ad hoc noscitur se extendere primo, ut fideles etiam reddat aptos atque idoneos susceptioni huius sacramenti, quia, ut dicitur in l. 4. c. G. c. 74., eiusdem virtutis videtur esse, aliquam perfectionem tribuere et ad susceptionem illius materiam proximam praeparare. Redditur autem aptus et congruus fidelis ad huius sacramenti perceptionem per hoc quod est a peccato immunis: non enim potest aliter Christo spiritualiter uniri, cui sacramentaliter coniungitur, hoc sacramentum percipiendo. Oportet ergo quod potestas ordinis se extendat ad remissionem peccatorum per dispensationem illorum sacramentorum, quae ordinantur ad peccati remissionem, cuiusmodi sunt baptismus et poenitentia“ (loco citato).

Secundo potestas Eucharistica intelligitur se extendere ad aliquam facultatem sacram, per quam potestas consecrandi in Ecclesia semper maneat, quae alia esse non potest quam potestas sacra ordinandi. Haec ab intrinseco et proinde necessario susceptionem sacramenti Presbyteratus supponit, tum quia iam ceterae sacrae potestates, ut absolvendi etc., eundem supponunt et Episcopatus ultimum complementum denotat, tum quia Episcopatus differenter a ceteris sacris facultatibus vere, licet indirecte, facultatem supra ipsum reale corpus Christi exhibet, et consequenter, cum respectus indirecti supponat quod in recto notatur, potestatem Presbyteratus supponit.

Quibus dictis, iam patet sacros ordines specificè inter se distare posse solummodo secundum diversitatem directae habitudinis ad Eucharistiam, minime vero ad sacras hierarchicas actiones: alioquin diaconatus differret a presbyteratu per duplicem speciem, quod nemo unquam dixit. Sed actus Episcopatus est actus hierarchicus; nam, cum nihil addat potestati consecrandi, sed per potestatem inferiorem, licet indirectam relationem ad reale corpus Christi innuentem, ipsam ab extrinseco quasi compleat eo quod Christus quidem maneat in aeternum minime autem Sacerdotes ipsius, per consequens actus Episcopalis minime est actus stricti ordinis. Ergo Episcopatus est solum extensio et complementum.

Secundo notare libet iamiam in pluribus quae in parte prima et secunda allata sunt, exstare probationem nostrae theseos et refutationem sententiae adversae. Ad ea liceat hic advertere.

Tertio notetur, ordinem, quem forte demonstraveris nec esse extensionem ut complementum nec sufficienter importare directam habitudinem ad reale corpus Christi, non constitui in ratione sacramenti: nam certum est, sacros ordines efficere unum systema. Id dico ut obiectionem praeveniam, quam facit Schell, loco cit. Dicit enim: „Exorcismus und Lektorat haben viel mehr Beziehung zur Taufe als zur Eucharistie.“

Bene, si Schell id evidenter demonstraverit, consequens quidem est, illos non esse veros ordines, minime autem sententiam s. Thomae esse falsam.

Neque in animo est hic argumentum afferre quod depromitur e numero ordinum, qui septem recensentur, id quod saepe ab auctoribus instituitur. Nam sive solum Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus habent rationem sacramenti, sive etiam ceteri ordines, sententia s. Thomae semper intacta manet.

Sed iamiam argumenta sententiae s. Thomae demonstrativa afferre oportet.

1. arg. Sacramentum ordinis est unus ordo in pluribus rationibus, sacramenti notam habentibus, existens.

Atqui plenitudo huius sacramenti est Sacerdotium. Ergo ceteri solummodo ut eius quaedam participationes vel ut quaedam extensiones. Atqui Episcopatus ut Episcopatus non est participatio Sacerdotii. Ergo extensio. Ergo non ordo specificè distinctus.

Maior est de fide.

Prima min. est extra controversiam apud omnes theologos. Vide eius probationem si libet ap. Billot t. I. thes. XIX.

2. arg. est P. Billot, l. c., et sic sonat: „Unus ordo non pendet a praecedenti quantum ad necessitatem sacramenti, quia singuli ordines in singulis subiectis possunt esse seorsum. Sed Episcopalis potestas dependet a Sacerdotali, quia nullus potest valide consecrari Episcopus, nisi prius Presbyter existat. Ergo potestas Episcopalis prout condivisa a Presbyterali, non est aliquid per se stans, sed merum complementum, sine eo, cuius complementum est, existere non valens, ac per hoc, Episcopatus adaequate sumptus non tam distinctus ordo dicendus est quam distincti ordinis . . . ultima consummatio. — Nunc autem cum character et ordo convertantur illud quoque consequens esse videtur: in consecratione Episcopali novum characterem non dari, sed praexistentem characterem Presbyteralem ulterius determinari ac perfici, pro quanto ad eas sacrarum ministraciones ampliatur, quas simplex Sacerdotium in sui muneris ambitu non habet.“

3. arg. Ut vera et intrinseca unitas sacramenti ordinis, ut oportet retineatur, principium intrinsecum huius unitatis efficiendae requiritur. Atqui sententia quae s. Th. adversatur, tale principium ponere non valet. Ergo falsa est.

Mai. evidens est.

Min. iam sufficienter illustrata et probata est in partibus praecedentibus.

4. arg. Id quod est in aliquo ordine supremum potest quidem specificare ea quae ad ipsum ut ad sui apicem tendunt et ordinantur, minime autem ea, quae ex ipso resultant. Sed in ordine Sacramenti Eucharistica facultas est supremum ad quam ceteri ordines quidem ut ad suum apicem ordinantur, ex qua autem Episcopatus resultat. Ergo.

Maior, ex qua pendet vis argumenti, patet ex eo, quod finis est specificare omnia, quae sub ipso continentur, ita ut horum species infima pendeat ex specificè diversa relatione ad finem, et ea, quae ex fine iam realizato resultant, sub relatione ad

finem non specificentur, sed ex se ut complementa sunt, ut patet in actibus humanis. Sed dicto modo se habet supremum in ordine aliquo relate ad ea, quae ad ipsum ut apicem tendunt, et ea quae consequuntur. Ergo.

5. arg. quod est clarissimi Mezger in sua theologia Scholastica de sacramento ordinis, disp. 41. a. 1. § III.: „Si Episcopatus esset a Sacerdotio adaequate distinctus, esset ipso inferior, siquidem potestas confirmandi et ordinandi est ignobilior quam potestas consecrandi corpus Christi: Consequens autem repugnat doctrinae Tridentini et Ecclesiae Catholicae, secundum quam primus gradus in hierarchia ecclesiastica est Episcopatus, iuxta textum Apostoli: „Posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei.“

Postremo respondendum est ad argumenta adversariorum.

Ad primum ergo dicendum, minime in ss. scripturis Episcopatum exhiberi ut ordinem adaequate distinctum a Presbyteratu. Nam si in ipsis, nullâ differentiâ assignatâ inter Episcopum et Presbyterum, Episcopo gratiam conferri dicitur, id explicatur his verbis P. Billot, loco citato, p. 287.: „indiget gratia, qua non indiget Sacerdotium simplex, maxime propter munus et officium regendi, ad quod natura sua dicit habitudinem.“

Ad secundum dicendum, SS. PP. tantum magnificis verbis efferre aut eminentiam muneris Episcopalis iurisdictione sua regentis ecclesias particulares et centrum unitatis praestantis, aut eminentiam gratiae collatae, quae omnia nihil faciunt contra thesim.

Ad tertium neganda est paritas, ut ex omnibus hactenus dictis iam patet.

Ad quartum dicendum, responsum huius obiectionis vim enervans iam in secundo argumento sententiae s. Thomae suasivo fuisse datum.

Retineatur ergo, impressionem illam quae fit in collatione ordinis Episcopalis, in se solâ inspectam, non dicere characterem, bene tamen in illa intrinseca connexionione cum Presbyteratu eiusque continuatione ad quaedam munia sacra. Nam revera characterem imprimi iam post celebratum concilium Tridentinum sana fide negari non potest, quod in sess. 23. cap. 4. docuit: „Quoniam vero in sacramento ordinis, sicut in baptismo et confirmatione character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest, merito s. synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt novi testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos laicos effici posse.“ Postea subdit, id esse ecclesiasticam hierarchiam confundere: „Proinde s. synodus declarat, praeter ceteros ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem

praecipue pertinere.“ „Haec verba, ait Hiquaeus, l. c. n. 24., ex causali referunt doctrinam in initio capitis datam de impressione characteris et eius indelebitate. Item errores contrarios quibus in verbis praemissis per veritatis oppositae declarationem adversatur. Ergo supponit in ordinatione Episcopi imprimi characterem.“

Etiam in sess. 7. de sacramentis in genere can. 9, docet, praedicta tria sacramenta imprimere characterem in anima.

Ad quintum 1. dicendum, ex parte nobis aliquid concedi, ex parte ipsa obiectione nobis subministrari principium ipsam confutandi. Conceditur nobis, potestatem ordinandi esse complementum potestatis consecrandi: subministratur autem principium confutationis tum eo, quod duo nova sacramenta certo existere oportet, ubi confertur nova gratia, quin intercedat subordinatio ad invicem: Atqui secundum assertionem adversariorum duae species gratiae sine subordinatione existunt. Ergo et duo sacramenta. Deinde nobis non relinquitur libertas, Episcopatum in se sola inque eâ, quae illi propria est, relatione ad Eucharistiam inspicere quin eum cum aliis ordinibus comparemus; nam una cum ipsis efficit unum sacramentum ordinis. Sed si illa comparatio instituitur, statim etiam manifestatur ratio, cur alii ordines Presbyteratu inferiores possint inter se specificè differre minime autem Presbyteratus et Episcopatus.

Ad quintum 2. dicendum, paritatem negandam esse. Nam neque baptismo neque confirmatione potestas activa ad sacra peragenda obtinetur, ex quo capite tota argumentatio s. Thomae fluit. Verum quidem est, confirmationem se sistere ut quoddam complementum baptismi, quia efficit hominem, qui per baptismum in vitam christianam regeneratur, expeditum ad luctam spiritualem; sed verum est etiam „ex similitudine corporalis vitae, quod alia est actio hominis statim nati, et alia actio, quae ei competit cum ad perfectam aetatem pervenerit. Et ideo per sacramentum confirmationis datur homini deputatio ad quasdam alias actiones sacras praeter illas, ad quas datur ei deputatio in baptismo. Nam in baptismo accipit homo munus ad ea agenda, quae ad propriam pertinent salutem, prout scil. secundum se ipsum vivit; sed in confirmatione accipit munus ad agendum ea, quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, sicut patet exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus s. acciperent, erant in coenaculo perseverantes in oratione, postmodum vero egressi non verebantur publice fidem fateri etiam inimicis fidei christianae.“ Billot, l. c. th. I. p. 275. Patet ergo simpliciter novum characterem imprimi. Nam sicut prudentia monastica

et politica specificè differunt, sic etiam vita christiana privata et publice manifestanda in pugna fidei. Sed Episcopatus et Presbyteratus non sunt duo vitae status, sed cum ceteris ordinibus unus in pluribus partibus, in quarum assignanda et declaranda differentia nunc laboramus.

Quibus responsis, iam tempus est concludere hanc minimam Doctoris Angelici apologiam. Et lubet concludere his verbis Innocentii VI. in quodam sermone prolatis: „Huius Doctoris doctrina. habet prae ceteris proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut nunquam qui eam tenuit, inveniatur a tramite veritatis deviasse, et qui eam impugnavit, semper fuit de veritate suspectus.“



SCHOLASTIK, REFORMKATHOLICISMUS UND REFORMKATHOLISCHE PHILOSOPHIE.

Von Dr. M. GLOSSNER.

II.

(Forts. von Bd. XIII S. 385.)

Das System der Philosophie.

Nicht ohne eine gewisse Scheu wird der gewissenhafte Kritiker an die Besprechung des Müllerschen „Systems“ herantreten, da er der dringenden Gefahr ausgesetzt ist, des Anspruchs der Kennerschaft und Fachmannschaft verlustig zu gehen. Es könnte nämlich der Fall eintreten, daß er sich genötigt sieht, einer der Überzeugung des Autors von der Vortrefflichkeit seiner Arbeit widersprechenden Ansicht Ausdruck zu geben. Um indes wenigstens den Vorwurf der Parteilichkeit von vornherein von uns abzuweisen, wollen wir vor allem den Leser mit der Selbstkritik des Vf.s bekannt machen, damit er frei zwischen unserem Urteil und dem eigenen des Autors wählen möge. In der Vorrede also versichert uns dieser, daß sein Buch eine wesentliche Lücke ausfülle, ferner, daß dem Kenner manch neuer Gedanke und die originelle Fassung der alten Probleme auffallen werde, endlich, es werde „dem Fachmann nicht entgehen, daß das Gesamtgebiet des philosophischen Forschens von den ältesten Litteraturdenkmalen bis zu den neuesten Erscheinungen,